



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 54. Georgii Agricolæ mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. A. C. 1555. Genevam fuerit exploratum missus, quodnam de ejus operibus ibidem judicium feratur, ad quod postmodum Beza Liseo respondet. Enimvero ea, quæ hic Scriptor in suo tractatu contra Sacræ Scripturæ versiones in linguas patrias edisserit, omnino risu digna sunt; ait enim, quod illo tempore, quo Sacra Biblia nascente Ecclesia fuerant latine reddita, duo latini sermonis genera exstiterint, unum Grammatices regulis adstrictum, quod non nisi a Doctis percipi poterat: alterum vero ab hisce Regulis omnino aberrabat, quod a vulgo passim fuerat intellectum: hinc inquit ille, latina Sacri Codicis versio, cum illa juxta primi generis sermonem latinum fuerit concinnata, proprie non erat versio in linguam vulgarem: id autem postea Lisetus ad cetera quæque idiomata extendit.

§. LIV.

Georgii Agricolæ mors.

*Spond. hoc
ann. n. 26.
Gesner.
Bibl.
Thu. hist.
l. 16. Melch.
Adam de
Germ.
Script.*

Tertius ex Scriptoribus hoc anno mortuus est Georgius Agricola natione Germanus, qui, quamvis tantum Medicus, circa quasdam tamen materias Ecclesiasticas suum exercebat calamum. Hic die vigesima quarta Martii Anno Salvatoris nostri millesimo quadringen-

ringentesimo nonagesimo quarto Glau-
 chæ in Misnia natus erat, & postea
 Lipsiæ magisterio Petri Moselli ævo suo
 longe doctissimi utebatur, demum ve-
 ro factò in Italiam itinere sub celeberrimis
 Magistris ingenium suum apprimè
 excoluit: inde in Germaniam reversus
 Vallis-Joachimicæ, quod est Misniæ op-
 pidum, Arti Medicæ operam dabat, ac
 præcipue rei metallicæ, fossilium, &
 subterraneorum animantium cognitioni
 intentus de hoc argumento varios con-
 scribebat tractatus, per quos multis re-
 centioribus, qui postea de hac historiæ
 naturalis parte scripserant, viam ster-
 nebat. Pariter ad examen, ac criam
 vocabat Guilielmi Budæi, Leonardi
 Portii, & Andreæ Alciati tractatus de
 ponderibus, mensuris, metallorum præ-
 tiis, & monetis, nec minus reliquit e-
 tiam posteris opus de traditionibus Apo-
 stolicis, necnon tractatum de Græco-
 rum, & Romanorum ponderibus præ-
 ter opusculum de bello contra Turcas.
 De cetero summopere adversabatur om-
 nibus novis circa Religionem opinionibus,
 unde etiam, etsi Catholicam Re-
 ligionem integra fide profitens hoc an-
 no Chemnicii in Misnia die vigesima
 prima Novembris obiisset, ætatis suæ
 anno sexagesimo primo Corpus ejus
 Lutherani, eoquod eorum errores feli-
 citer

Sæcul. XVI.
 A. C. 1555.

Sæcul. XVI. A. C. 1555. citer impugnasset, integris quinque diebus insepultum reliquere, tandem vero illud Citium deportari curarunt, ubi etiam terræ mandatum fuit. Parentabat defuncto Georgius Fabricius non solum sepulcrali inscriptione, sed etiam quibusdam epigrammatibus, quæ in ejus opera concinnaverat.

§. LV.

Petrus Gillius Albiensis mortuus.

Thu. l. 16. *Gesner. l. c.* *Spond. l. c.* **H**ic idem annus etiam exitialis fuit Petro Ægidio, qui vulgo Gillius dictus, atque Albi natus Romæ extremum clausit diem, cum annum sexagesimum quintum expleffet. Hic ad exactam linguæ Græcæ ac latinæ, antiquitatis, veterum Scriptorum, bonarum disciplinarum, ac præcipue rei naturalis cognitionem indefessum longinquas regiones lustrandi studium adjungebat, eoque incitatus jussu Francisci I., qui literatorum eximius erat fautor, libros nondum typis editos undique colligebat: cum vero per plusquam quadraginta annos peregrinatus esset, a Barbariæ Piratis captus in Africam abstrahatur, e quorum tamen manibus tandem elapsus fuerat sollicitudine, ac liberalitate munificentissimi Literatorum Patroni Armeniaci Cardinalis, qui Romæ Galliarum Regis negotia procurabat. Hunc